Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Asia interpretatur elatio. Elatio autem et in bonam partem
ponitur et in malam. Hec semper pro uicio ponitur. sed aliquan
do culmina uirtutum designat. In bono ponitur. ut il
lud esaie. Ponam te in superbiam seculorum. sustollam te
super altitudinem terre. Altitudines terre. diuicie
sunt. honores. dignitates. Super altitudines has deus om
nipotens. posuit Petrum et paulum. et ceteros qui primum
fundamentum ecclesie iecerunt. Nam sicut cum montem
quisquis conscendit. eo paulisper cetera subiacentia
despicit. quo ad altiora plus gressus tendit. ita qui
intentionem figere nititur in summis. eo amplius ter
rena despicit quo amplius eleuatur ad celestia. Et quod
prius in imo positus super se credidit post ascendendo
proficiens. sub se esse cognoscit. In hac bona elatione con
sistit ecclesia. quia terrena omnia calcans. mente celos
inhabitat. dicens cum apostolo. Nostra conuersatio in celis est.
Quod si etiam elationem in contrariam partem intelligere uo
luerimus. neque in hoc a sano intellectu recedimus. quia
multi de sua superbia deiecti sunt per gratiam xpi atque hu
miliati. ad quos etiam quia membra sunt ecclesie. hec perti
net reuelatio. Impletum hoc cognoscimus in Paulo. qui pri
us fuit superbus ecclesie persecutor. deinde factus est piis
simus predicator. De superbis enim atque elatis. cottidie xpc
suam ecclesiam per internam gratiam uocans. mitissimam red
dit et humilem. Gratia uobis. Gratia dicitur. gratis data. et non
merces reddita. sed uenia gratis collata. Que gratia spe
cialiter in hoc est accipienda. quia sine merito homi
num misit deus filium suum. qui nos suo sanguine redemit.
et ad filiationem dei perduxit. Vnde et sequitur et pax.